

vicissim neminem ad mortem damnare, nisi pro meritis criminum, quorum ille nequaquam causa esset. Quare totus controversiæ cardo in eo vertebatur, an nomine prædestinationis utendum esset designando reprobationis decreto, quemadmodum Gothescalchus contendebat; vel ab eo temperandum, quemadmodum Rabano visum.

Frustra laborarunt Concilii illius Patres, ut Gothescalchum ad saniora consilia & castigationem loquendi rationem perducerent; quare pervicacem damnarunt, damnatumque remiserunt ad Hincmarum Archiepiscopum Remensem; apud quem Rabanus per Epistolam Monachum illum accusavit, quasi spargentem in vulgus, quemadmodum Dei esset prædestinatio in bonum, ita Dei esse in malum prædestinationem; dari autem in mundo homines, qui ab erroribus suis respicere non possent; Dei prædestinantis decreto coactos, præcipites in mortem ferri, cuius victimæ destinati sunt; esse autem illos naturâ suâ incorrigibiles, & damnatione dignos. Hæc de Gothescalcho Rabanus; non verò de se Gothescalchus affirmabat.

Hincmarus hæc Rabani literis præmonitus, atque loquentem pro se Gothescalchum auscultatum, tandem in Synodum Carisiacam produxit. Appellatus eò Rhotodus Episcopus Sueffoniensis, ad quem Diocesani sui iudicium pertinebant. Interrogatus igitur Monachus ab Episcopo, cum sententiam suam, sicut olim Moguntia, ita pariter eadem oblatione tunc defendisset, ab injuriis pariter in adversarios suos non parcens, hæresis damnatus est, à Sacerdotio amotus, & virgis cæsus coram Rege Carolo Calvo, & Episcopis; virgis, inquam, tandiù cæsus, quandiù scriptum pro asserenda sententia sua ex collectis Scripturæ & Patrum sententiis Librum flammis manu suâ absumendum non traderet. Archo deinde carcere damnatus est in Abbatia Altvillarensi Diocesis Remensis.

Ex eo carcere Gothescalchus duas semit Fidei professiones, prolixiorē alteram, aliam breviorē; in utraque verò defendebat, Deum nunquam ad peccatum & malum prædestinasse, sed tantum ad bonum, cuius duplex est genus distinguendum; nempe beneficiorum gratiæ ipsius, & pœnarum quæ ab eius iustitia decernerentur. Gratitudinem quidem illum elegisse, hominem ad vitam æternam, prædestinasse verò Demones & reprobos in mortem æternam. Significabat optare se, ut posset doctrinam suam in cœtu aliquo publico coram Episcopis, Principibus & Clero tueri, probaturum etiam, se orthodoxiam suam spondens, per quatuor dolia ebullientis aquæ, olei & picis, ac tandem per ingentem incensum ignem, illæsus pertransiens; e quibus si quid læsionis contraxisset, offerre se dicebat, ut tanquam de crimine convictus ignis supplicio perimeretur.

Interim Hincmari adversus Gothescalchum molitiones, & quas ipse tuebatur, sententiæ in Libro ad Reclusos Diocesis sue, criminatores plurimos nactæ sunt. Rattramnus Monachus Corbejenfis suis ad

amicum Gothescalchum literis Scriptum illud Archiepiscopi liberius carpit. Prudentius Episcopus Trecentis, collectis pluribus Sacræ Scripturæ, Patrum, & præcipue S. Augustini sententiis, veritatem duarum prædestinationum asseruit. Lupus Servatus Ferrariensis Abbas lucubrationem suam eâ de re edidit (f), Augustinianæ sententiæ maximè consentaneam. Docet autem inter cætera, scire se quidem, nec apud Scripturam, nec apud Patres prædestinationis nomine designari reproborum exitum, metu ne fortè ideò creasse Deus homines aliquos dicatur, ut ultionis suæ monumenta in illis statuatur, neve id unquam reputetur, damnare Deum injustè ad supplicia homines, qui in malum summa necessitate ferrentur. Hæc quidem dicebat, ita se habent: sed cum de re constat, de reprobatione nempe impiorum propter merita, sulta sunt pro vocibus concertationes.

Iustus insuper à Carolo Calvo Rattramnus de hoc argumento disserere, Librum suum edidit de Prædestinatione, demonstrans totâ Deum æternitate nosse bonorum, impiorumque eventus omnes; Sanctorum autem prædestinationem merum esse Dei miserentis beneficium; & electorum numerum neque minui, neque augeri, sed nec immutari quidquam posse. Ad prædestinationem verò impiorum quod attinet, demonstrat, nunquam prædestinari à Deo homines ad crimen, sed ad criminum pœnas, & supplicia; qua tamen posita prædestinatione, nihil de hominis in bonum, malumque libertate detractum; quanquam, ait, quicumque merâ putâque Dei miseratione eliguntur, illos certa manet salus; sicut vicissim in massa perditionis relicta certa pariter damnatio decreta est, quam sibi merito criminum sponte admisorum adfiscunt. In calce Operis Imperatorem rogat, ne Opus evulget, antequam contraversis illis plenius discussis, sententia de re totâ feratur.

Duos Libros Lupi, & Rattramni discutiendos tradidit Imperator Hincmaro, & Pardulo Episcopo Laudunensi, qui geminis illis Scriptoribus geminos pariter adversarios opposuerunt, Amalarium Diaconum Trevirensis, & Joannem Scotum Erigenam. Perit nostrâ ætate Opus Amalarii; sed aliquandiù post Ecclesia Lugdunensis in Lib. de trib. Epist. iniquius aliquantid virum agit; accusat enim concivisse illum turbas, vel saltem concitare molitum in pluribus Gallicanis Ecclesiis, dignumque iudicat, cuius Scripta igni absumenda tradantur. Joannes Scotus Erigena humanioribus literis, & Philosophiâ excultissimus erat, imperitus verò in Theologicis. Redundat ejus Liber cavillis, & subtilitatibus Scholasticis; duplicem prædestinationem reprobatur; demonstrat insuper, nullam ex prædestinatione imponi necessitatem; liberum hominis arbitrium, Adami crimine nihil factum imbecillius; per crimen & criminis consecutiones, sicut etiam, quibus crimina plectuntur, supplicia, cum meræ sint privationes, neque prædestinari

f. Sup. traç.
de Trib. Qua-
stionibus.

unquam, neque prævideri à Deo potuisse. Quibus bellè planèque assertis, deducit inde, damnatorum pœnas in privatione tantum beatitudinis, sive concepto inde dolore versari; ut proinde juxta Scriptoris illius sententiam, ita de universo damnatorum supplicio reputandum sit, quasi totum illius cruciatu momentum in alio, quam in materiali quodam igne constituitur; quippè non alio torquentur igne quam elementari, per mediam enim ignis spheram animæ hominum statim post obitum traduntur. Ne tamen flammâ atque ignis impressione aliqua lædantur iustorum animæ, in causa est, quod in naturam quandam ætheream transmutentur; sicut vicissim in ærem transformata impiorum animæ, contrariâ igni qualitate instructæ, plurima eodem igne tanquam ab adversario tolerant. Ad prædestinationem quod attinet, nullam dari affirmat, nisi pro rebus à Deo deducendo in salutem æternam homini paratis; prædestinationis hujuscæ causam assignat in Deo quidem summam rerum omnium provisionem, in homine verò reum liberi arbitrii usum.

Ventio sive Ganelo Archiepiscopus Senonensis plures ex eo Opere propositiones à se excerptas misit ad Prudentium Episcopum Trecentem, qui vix lætis innovari credidit Veteres Pelagianorum errores, nec ab impietatibus Collyridianorum immunes prorsus esse; quare illis refutandis calamitè acuit. Distinguit ille prædestinationem à præscientia, quarum nempe hæc ad crimina extenditur, non verò prædestinatio. Statuit ille tamen duo prædestinationum genera, quorum illo Deus gratuito prædestinat electos ad gratiam & gloriam; altero verò, quo impios, præviso criminum ab illis perpetratorum merito, æternis suppliciis destinavit; asserit autem neminem unquam in tantam venisse impietatem, ut everti libertatem à gratia sive necessitatem hominibus prædestinatione imponi docuerit.

Eadem excerpta libri Scoti Erigenæ missa sunt ad Ecclesiam Lugdunensem, quæ refutandi erronea dogmata Floro Diacono munus imposuit. Florus itaque duas distinguit prædestinationes vel unam eandemque duplici ratione spectari potuisse demonstrat; & cum nempe gratuito beneficio electos ad gratiam & gloriam destinavit; & cum vicissim, reprobos, in ultionem admisorum proprio libertatis arbitrio criminum, æternis suppliciis addidit. Ignorare se ait de Gothescalcho, quoniam criminis merito infelix ille Monachus damnationem subierit & carcerem. Si enim, cuius accusabatur, hæresis reus deprehensus fuisset, æquum erat ut juxta veterem Ecclesiæ disciplinam & lata in illum sententia & crimina per omnes Regni Ecclesias promulgarentur.

Amolo Archiepiscopus Lugdunensis sub idem tempus literis à Gothescalco pro defensione causæ suæ acceptis, aliis datis literis respondit; cavisse se quidem dixit, ne Opus illud suum ad ipsum tanquam anathematis sententiâ damnatum, dirigeret, Dissert. Calmet Tom. II.

sed opportunus duxisse, ut ad Metropolitanum ejus mitteret, quod miseratione aliqua permotus, fores tandem illi Ecclesiæ, præmissâ antea errorum suorum palinodia, aperiret. Ad rem autem accedens, plures Gothescalchi sententias notat, atque illam potissimum, nimirum Demones & reprobos tam certo & irrevocabili decreto ad damnationem prædestinari, quomodo Deus certus est, & nulli obnoxius mutationi. Observat insuper Amolo, omnia quæ apud S. Augustinum aliosque nonnullos Patres leguntur de prædestinatione impiorum ad pœnas, non ita profectò intelligenda esse, quasi Deus prædestinatione suâ impios sive damnatos ad impietatem & damnationem cogeret; sed constituisse potius, ut qui in massa corruptionis sive originario Adami sive propriis criminibus computrescerent, æternis suppliciis damnarentur.

Hincmarus ex ea Amolonis Epistola factis intelligens, non abhorreere illum ab impietate Gothescalchi damnandâ, e re sua esse judicavit, si datis ad Ecclesiam Lugdunensem ejus argumenti literis in suas illam partes pertraheret. Misit igitur prolixam satis Epistolam, qua totum Gothescalchi iudicium, atque sententias in illum à duobus Conciliis latas prosequitur; explicat deinde Monachi illius dogmata de prædestinatione ad gloriam, æternamque impiorum damnationem; nec omittit erroneas e principis illis deductas consecutiones.

Remigius, in Archiepiscopatu Lugdunensi successor Amoloni datus, Ecclesiæ suæ nomine hæc reposuit. Ac primò causam Gothescalchi deseruit, quem pariter temeritatis, & levitatis reum damnat: simul autem defendit, juxta S. Augustini doctrinam, e prædestinatis à Deo ab ipsâ æternitate ad gloriam iustis neminem periturum; sicut vicissim nihil demendum e numero prædestinatorum ad mortem æternam, quos iusta criminum ultio consequetur: cavendum tamen, ne cogere in damnationem impios potestate suâ Deus credatur, sed omnes, ait, admisorum propriâ voluntate criminum pœnas luunt.

Ad iudicium & personam Gothescalchi descendens, perverfas in eo canonicas sanctiones accusat, quod damnatus prius in cœtu Abbatum, & Religiosorum ad regularem disciplinam subeundam, iudicio deinde Episcoporum sifteretur. Hæreticorum enim iudicium ad Episcopos, non ad Abbates pertinere. Jusse autem in illum animadversum, quod injuriis Episcopos profcidisset; quanquam id per alios factum, quam per eodem Episcopos, maluisse Remigius. Ad dogmata viri quod attinet, addit ille, veniam facile impetramus, vera esse statuentes, & à nemine Catholico Doctore rejicienda, quæ Monachus ille de prædestinatione asseruit. Dolemus proinde, iudicio Episcoporum sententiam latam fuisse, non adversus infelicem hunc Monachum, sed adversus Ecclesiasticam veritatem. Illud autem horrendum, quod inaudito crudelitatis exemplo, flagrorum icibus toto corpore cæ-

retur, quemadmodum oculatorum testium relatione comperimus, donec suis ipse manibus in ignem projiceret libellum ex collectis Scripturarum, & Patrum testimoniis à se descriptum. Olim Hæretici argumentorum & rationum vi, non crudelitate conficiebantur. Longa planè, & inhumana, miseri illius in carcere detentio, quantum nos reputamus, solatio aliquo temperanda est, ut charitate lucremur fratrem, cujus amore Jesus Christus mortem oppetit; quod sanè magis conducere, quàm si tristitia, & moerore opprimeretur.

Eà responsione minùs favori consiliis suis sentiens Hincmarus, aliam suæ doctrinæ fulciendæ rationem inivit. Cùm itaque soluto jam Concilio Suesionensi an. 853. cum Episcopis, & Abbatibus nonnullis Carisi versaretur, quatuor articulos Imperatori proposuit, ac deinde ejus autoritate publicavit. Primus ferebat, unam dari tantùm prædestinationem ad vitam, qua Deus lapsos homines post Adæ peccatum in massam corruptionis, aliquos relevans, ad gratiam & gloriam prædestinat; ceteros verò, quos in eadem massa relinquit, perituros sanè illum prænosse, nec tamen ut perirent, sed tantùm ad æterna pro eorum merito supplicia prædestinasse. Ceteri articuli in rem præsentem nihil faciunt.

Porro capitula illa ab Hincmaro digesta, Episcoporum, & Abbatum præsentium, subscriptionibus munita sunt: agente pariter Hincmaro, subscripsit Prudentius Episcopus Trecentis. Sed ille mox facti pœnitens, ad Episcopos in Senonensi urbe coactos pro electione Episcopi Parisiensis literas dedit, misso simul Arnolde Presbytero Ecclesie suæ, ad ratam habendam suo nomine futuri Episcopi electionem, eà tamen conditione, si ab Episcopis probarentur quatuor à se proposita Capitula, quorum de prædestinatione articulus ita conceptus erat, prædestinari à Deo alios gratuito Misericordie suæ beneficio ad vitam æternam, alios iusto iudicio ad damnationem. Ejus Epistola exitus ignoratur.

Memorie tamen proditum scimus, quatuor illa capitula Carisiaca ad Ecclesiam Lugdunensem transmissa, examine ab illà discussa, atque refutata ejus jussu à Remigio Archiepiscopo fuisse (e). Primò itaque queritur Operis illius Author de neglecta in rebus ad prædestinationem & gratiam attentibus S. Augustini doctrinâ; atque in eo reprehensione digna Capitula illa judicat, quòd de electorum prædestinatione ita statuunt, quasi à meritorum præsentia deducatur; negentque pervicaciter, impios à Deo ad æterna supplicia prædestinari. Post refutata Capitula Carisiaca, Remigius doctrinam Concilii Valentini, sex canonibus de gratia, libero arbitrio, & prædestinatione traditam A. 855. defendit. Porro hujus Concilii Episcopi audacter adstruunt & bonorum ad vitam æternam, & impiorum ad mortem æternam prædestinationem; eà tamen cautione, ut quos Deus salvandos edicit, illos misericordie

suæ gratuito beneficio, ne meritis quidem eorum prævisis, donet; damnatos verò ita iusto iudicio puniendos statuat ut eorum crimina antea præviderit.

Ejus Concilii canones unà cum Lucubrationibus Ecclesie Lugdunensis per Ebonem Archiepiscopum Gratianopolitanum oblatis sunt Carolo Calvo anno 856. Rex Hincmaro tradidit, qui statim alterum Scriptum opposuit. Opus illud nostrâ ætate intercidit; superest tamen adhuc ejus Epistola ad Carolum Calvum, toti Operi præfixa, qua de damnatione quatuor Capitulorum, nec relatis illis, & in pravum detortis sensum, conqueritur. Tandem an. 859. cùm iidem qui olim in Concilio Valentini convenierant Episcopi, in Concilio altero ad Saponarias in agro Tullensi coivissent, priores ibi canones referri iusserunt. Hincmarus ceterique ejus clientes eorum approbationi intercedebant; quare Remigius Archiepiscopus Lugdunensis remittendam causam ad viciniorum Synodum proposuit; & cùm in eandem sententiam ivissent omnes, Concilium dissolutum est.

Sed Prudentius rem totam ad Romanum Præsulem deferendam arbitratus, Canones Valentini Concilii ad Nicolaum Papam confirmandos transmisit. Approbatos reapse à Pontifice affirmabat deinde Prudentius; sed negavit Hincmarus, à quo pariter vulgatum spissum Opus in Canones Concilii Valentini, quo demonstrare enititur, Deum merita & gloriam electorum, sicut & reprobatorum crimina, prævidisse; prævidisse pariter & prædestinasse illorum supplicia; ex quo tamen minime deduceretur Deum impios ad mortem sive ad damnationem prædestinasse. Quare tota Hincmarum inter ejusque adversarios controversia in eo tantùm versabatur, quòd illi nullis verborum ambagibus prædestinari à Deo reprobos in damnationem assererent; cùm Hincmarus parari illis sive prædestinari diceret æternam poenam in criminum ultionem.

Circa A. 864. Nicolaus I. Papa de iudicio & damnatione Gothescalchi certior fieri voluit. Hincmarus præoccupandum Pontificem ratus, Monachum illum invidiosissimis coloribus depinxit. Pontifex durius, quàm par erat, habitum Monachum improbare se significavit; sed Archiepiscopus datus ad ipsum literis respondit, iussisse se quidem abundè necessaria omnia viro suffici, sed pervicacius ab illo recusari. Pontifex Legatos suos ad Concilium Metense 865. proficiscentes mandatis oneravit, ut Romam Hincmarum ad causam dicendam mitterent; mitterent pariter & Gothescalchum: sed Archiepiscopus neque Pontificis iussionibus parere, neque obedire Monachum permisit. Cùm tandem Gothescalcho contigisset, ut ad Pontificem scriptas à se literas Monacho Gonterio deferendas traderet; Hincmarus & detineri Gonterium, & intercepti literas, ac tandem Gothescalchum arctiori carceri tradi præcepit. In extremis illis angustiis infelicem Monachum extremus morbus occupaverat; quare Monachi Alsvillareses que-

situm

situm ab Hincmaro venerunt; quid agendum esset; mandatque illis à Præsule, ut Eucharistiâ privaretur, siquidem erroribus suis non renanciasset. Ille in sua sententia persistens, vitam denique cum morte commutavit an. 868.

Nec ingenium quidem, nec studium, nec acumen deerat Gothescalcho; fortè etiam alia erat viri sententia, quàm quæ ab Hincmaro, Rabano, ejusque adversariis spargebatur in vulgus. Obstinatorem tamen viri, pervicaciam & violentam, agendi rationem nemo prudens excusaverit. Persuasum quidem habent multi, Prudentium Trecentem, Ratramnum Monachum Corbejensem, Lupum Ferrariensem, Florum Diaconum, & Remigium Archiepiscopum Lugdunensem, quin & Amolone ipsum, quamvis aliqui obstinationem ejus, atque inconsultam agendi rationem altè improbarent, ab ejus tamen doctrina non abhorruisse. Quod autem animadversione dignum judicamus, illud est, nimirum inter utriusque partis assertores convenisse, S. Augustini præ omnibus Patribus auctoritatem, cùm de prædestinatione & gratia agitur, maximi habendam esse momenti; utrinque verò de eo certabatur, ut S. Doctorem in suas partes pertraheret. Quare tota tandem disputationis vis ad nomen tantummodò redacta videbatur; nimirum an nomine prædestinationis ad peccatum & ad damnationem, designari possit Dei in reprobos decretum.

Post nonum sæculum usque ad exortas Lutheri & Calvinii hæreses, nihil, ad prædestinationem & gratiam quod attinet, in Scholis Christianorum tumultuatum est. Quamquam inter varios Theologos parva quadam agitabantur velitationes de variis exprimendi rationibus, variisque diversorum sententiis; quibus de Ecclesie pace nihil detractum, cùm de opinionibus in utramque partem citra Fidei dispendium agitandis res esset. Cùm autem Lutherus statuisset, post Adami lapsum omnes arbitrii vires excidisse, solà relicta malorum agendorum facultate, in bonum enim ita ferri liberum hominis arbitrium, quomodo inanime quoddam instrumentum: cùm pariter Zuinglius defenderet, ad prædestinationem & reprobationem nihil homines conferre; totum enim à Dei voluntate, nihil ab homine pendere, ut neque prædestinati unquam damnari, neque reprobi salvari unquam possint; Episcopi & Doctores in Concilio Tridentino an. 1546. coacti; propositiones illas ad trutinam revocarunt, & post sedulam eorum discussionem, Cardinalis S. Crucis, cui anathematum digerendorum cura imponebatur, eà cautione rem totam perfecit, ut variis Doctorem Catholicorum sententiis intactis, nihilque etiam ansæ tradens Protestantibus, doctrinam erroneam Hæreticorum damnaret.

Temperavit autem Concilium Tridentinum à ratione & causis prædestinationis & reprobationis; quod in causa fuit, cur varia super eodem argumento ab ipsis etiam Concilii Tridentini Theologis prodirent

Scripta, quibus singuli in suas partes trahere Concilium nitentur. Anno 1549. Leonardus Utinensis, Ordinis Prædicatorum, Italus, verba faciens è sacro suggestu Utini, oppido agri Foro Juliensis, quò Sedes Patriarchalis Aquilejensis transfusa est, duas inde statuit propositiones, quibus & inter Auditores murmur, & in tota Urbe scandalum inductum est. Affirmavit itaque primò, prædestinatum à Deo hominem damnari nequaquam posse; quæcumque enim admiserit peccata, à Deo tandem remitti; necessarium esse enim, ut salutem tandem consequatur. 2. Electionem & reprobationem ad eò necessarias esse, ut salus sive damnatio hominis ab ipsius voluntate & libertate nequaquam dependeat.

Vicarius Generalis ejus Urbis statim per literas eà de re monuit Joannem Grimani Aquilejensem Patriarcham, tunc temporis Venetiis agentem; qui rescriptis ad Vicarium suum, 17. Aprilis datis, liquidò prodidit, noscere se propositiones illas, quibus murmur in Civitate excitatum fuerat, veras esse & Catholicas; neminem etenim prædestinatum damnari, sicut vicissim reprobatorum neminem salvari posse: quod suffus demonstrandum, ingessit SS. Pauli & Augustini auctoritate, suscipit. Publicè per totam Diocesim evulgata est Epistola, cujus pariter autographum in publico Tabulario servatum; quare nihil eà de re innovatum usque ad an. 1560. cùm ejus adversarii deterrendo Pontifici Paulo IV. ne virum cooptaret in cœtum Cardinalium, urgentibus ejus electionem Venetiis, hanc ejus Epistolam ad Tribunal Inquisitionis, veluti errorum Lutheranorum & Calvinistarum suspectam, detulerunt. Versabatur tunc Romæ Episcopus; quare ad Pontificem agendum se conferens, post doctrinam suam expositam, Epistolam & scriptum exhibuit. Pontifex adlegere virum inter Cardinales maxime optans, illi absolvendo Congregationem induxit pervigilio ejus diei, qua in Consistorio novorum Cardinalium nomina edicere statuerat. Coram Judicibus itaque venit Patriarcha, Epistolam suam defensurus; sed nihil eà de re pronunciare Judicibus visum est: quare inter novos Cardinales, an. 1561. electos, nomen Grimani desideratum est.

Conceptam tamen spem non deposuit Patriarcha, iudiciumque suum in dies urgebat. Coram Tribuni Inquisitionis septem propositiones ex ejus Epistola deductæ in examen revocatae sunt. 1. Prædestinatio Deum unum habet autorem. 2. Prædestinatio è liberis tantum Dei promissionibus dependet. 3. Nec prædestinatus damnari, nec reprobos salutem consequi potest. 4. Nunquam Deus misericordie suæ oculis reprobos homines respicit. 5. Diabolus contra certum electorum numerum prevalere nunquam potest. 6. In negotio salutis nostræ omnia ad Deum referenda. 7. Nihil confert reprobis liberum arbitrium, ut salutem obtineant. In Congregatione die 11. Decembris 1561. causa illa agitata est; sed cùm in partes à Consultoribus abiretur, Pius IV. novo examini rem